

MEISNE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS
Disputatio Sexta
De
SACRAMENTIS
VETERIS TESTAMEN-
ti in Genere & in Specie

De
CIRCUMCISIONE,

Quam

Annunte JEHOVA
SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

In Collegio privato examinanda.

proponit

M. CHRISTOPHORUS KIRCHERUS
Augustanus.

*Habebitur die 10. Septemb. horis pomeridianis
in Auditorio minori.*



WITTEBERGÆ,
Ex Officina Johannis Gormanni,
ANNO M. DC. XX.



MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, GENERIS
*splendore, auctoritate variarumque rerum
usu prestantissimis*

Viris,

Dn. BERNHARDO Zech/

Dn. Seitz/

In florentissima Augustanorum Politia patria
civibus primarijs;

SPECTATISSIMI,

Dn. CASPARIS ERHARDI,

Mecœnatis quondam mei &c. τὸ ἐν ἀγίοις
Generis;

*Magnis Musarum & Literatorem & εὐεργέτας, Do-
mini Patronis & Favitoribus suis debitâ obser-
vantia & honoris cultu perpetim colendâ*

Hoc

Exercitium Theologicum

Ut studiorum suorum τεκμήριον

Et grati animi σύμβολον

Offerre voluit, debuit

M. CHRISTOPH. KIRCHERUS,

August. Autor & Resp.





Προαίλημα.

DEUM universorum opificem & autorem cuncti boni, summè bonum esse, immensoq; erga genus humanum amore flagrare, manifestum est ex eo, quod omni tempore, ante & post lapsum, & verbo & medijs, symbolis & μνημοσύνοις externis cum hominibus egerit. Nam postquam homo post totius Universi perfectionem, sex dierum spacio absolutam, ex limo terræ formatus, conditor locum certum velut regiam quandam assignat, quo præ reliquis terræ partibus delectaretur maximè, hortum nempe Eden, in quo statim *Arbor vitæ* ante lapsum, non, ut vult *Bucanus* loco. ii. q. 16. p. 107. & *Pareus*, in Gen. p. 328. Sacramentum (quia 1. Statum naturæ lapsæ respiciunt Sacramenta. 2. Cognitio salutis & perfectionis nulla fuit necessaria, siquidem ubi nullum peccatum, ibi nullo peccati remedio opus est, *Thomas* Par. 3. q. 61. a. 2. & *Alexander de Ales* Part. 4. q. 1 memb 2. artic. 1.) sed instar Sacramenti & symboli vitæ divinitus acceptæ, imò ut *Iustinus Martyr* de verita. rel. Christi. piè scribit, Symbolum signi crucis ac ipsius Christi, qui verè vita est, hoc vitæ lignum extitit. *Lignum scientiæ boni & mali* ab eventu (Eheu!) miserabili, uti *Augustino* lib. 15. de Gen. ad lit. c. 8. & *Luthero* super c. h. placet sic vocatum, erat probationis quoddam & obedientiæ Deo debitæ Sacramentum & medium. **Tanta Deus OPT. MAX. bonitate & Φιλανθρωπία**
F 2 etiam

etiamnum post lapsum ardet, ut non nudis promissionibus, sed & symbolis datis nos ἀσφαλείας nostræ causa libenter subleuet. Ante Circumcisionem datam, ratione confirmationis fidei fuere, tum prædicatio promissionis de semine mulieris, opera diaboli destructuro, 1. Joh. 3, 8. tum sacrificia, quibus adumbratus fuit Christus, tum visiones crebræ & apparitiones divinæ, quibus fides Patriarcharum fuit confirmata. His sublecura fuerunt ordinaria & ἀίδια V. T. Sacramenta propriè & specificè sic dicta, Circumcisio & Agnus Paschalis, illius institutio Gen. 17. hujus Exod. 12. describitur, quibus in N. T. successit Baptismus & Cœna Dominica. Omnium horum naturam primum in genere vidimus in prioribus, deinceps de singulis speciatim agendū. Priusquam v. ad specialem Sacramentorum V. T. considerationem perveniamus, licet ἀπὸ ἐφαρμογῶν de illorum natura & substantia dicere. Uta. εὐμεθόδως procedamus, ad duo revocabimus capita, & 1. erit de Natura & substantia Sacramentorum V. T. in genere 2. De Circumcisione.

I. Descripturus I. Sacramenta V. T. rectè facit, si ignotam rei naturam explicanda definiat quasi, & à cæteris rebus discriminet. ὡς περὶ τὸ ὁμοίωμα χωρίζει τὸ ἴδιον ἐκαστὸν ἀπὸ τῶν ἀλλοτρῶν: ὅτι ἡ οὐσία τῆς φύσεως ἐκαστὸν χωρίζει ἀπὸ τῆς ἑτέρας φύσεως ait Damascenus Dial. c. 8.

II. Sunt autem illa, quæ ante CHRISTI in carnem adventum instituta, eminus ipsum monstra-

strarunt, & quibusdam figuris adumbrarunt Chri-
stum cum suis beneficijs: quo demum exhibito
abrogata sunt.

III. Ubi in compendio quasi proponitur doctrina Sa-
cramentorum illius Testamenti, quæ duobus primarijs
constat membris: alterum est de substantia, alterum de
fructu. De substantia explicanda veniunt duo. 1. τὸ
ὄνομα. 2. Ipsum τὸ πρᾶγμα.

IV. Nomen quod attinet, sumitur illud vel laxè &
ulterius extenditur, quam rei subjæctæ qualitas patitur,
& sub se complectitur secundum quosdam sacrificia pro-
pitiatoria Veteris Testamenti, vel strictè, in propria ac-
ceptione.

V. Essentiam quod spectat, consistit illa partim in
materia seu objecto, partim in forma.

VI. Materia seu potius objectum Sacramen-
torum V.T. certo & peculiari institutionis verbo deter-
minatum & præscriptum. partim est res, partim verbum,
juxta regulam Augustini Tract. 80. super Ioh.

VII. Res gemina est, terrena seu externa & cœle-
stis, quarum illa visibilis est, & dicitur Elementum seu
symbolum externum, hæc v. invisibilis. Sic res terrena in
Circumcisione est præputium, cum sanguinis fusione reci-
sum; in Paschate caro & sanguis agni. Res cœlestis
& spiritualis est Christus Ἰησοῦς ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, qui significaba-
tur & præfigurabatur in V. T. tanquam exhibendus non
offerebatur, præsens tanquam exhibitus.

VIII. Verbum æquè habuerunt, quod duplex Man-
dati de Collatione, & Promissionis, non de corporalibus sed
& spiritualibus beneficijs. Sic Circumciso habuit man-

datum, quod planissime explicatur Gen. 17. v. 7. & promissionem, v. 7. quod velit esse Deus Circumcisorum. Ita & de agno Paschali preceptum late exponitur Exod. 12. promissio extat v. 13.

IX. Forma seu specifica differentia est figura, adumbratio, ὑπόδειγμα & οἰκία. ἢ μελλόντων ἀγαθῶν. Sacramenta n. V. T. præfigurabant, significabant & adumbrabant Christum suo tempore exhibendum, passurum & moriturum.

X. Quæ differentia dependet ex natura Testamenti illius, quod umbram habebat, & figuras & significationes Christo suo tempore exhibendi, juxta regulam, Omne Sacramentum imitatur naturam Testamenti ejus, cujus sunt Sacramentum. Quale igitur Testamentum est, talia etiam sunt ejusdem Sacramenta, id est, eadem est natura Sacramentorum & Testamenti, cujus sunt propria, quia nimirum Sacramentum est sui Testamenti nucleus & obsignatio.

XI. Iam a. V. T. erat imperfectum, attestante D. Paulo Hebr. 7, & 8. sanguine pecuino constans Exod. 24, 8. quod per Mosen datum, unumq; populum obligabat, in quo cognitio Christi fuit subobscurior. Rom. 13, 12. Nam veteres quidem habuerunt etiam Christum, sed in umbra & figura, qui nondam erat exhibitus, præfiguratus, prædictus.

XII. Unde recte ex natura Testamenti judicamus & definimus habuisse οἰκία, significasse & adumbrasse tantum Christum in carnem venturum. Hinc ab Augustino in Ps. 37 prænunciativa venturi Christi appellatur; Item habuisse promissiones rerum complendarum. Idem cont. Faustum l. 19, c. 13.

XIII. Demonstrant hoc ipsum. 1. S. Scripturæ ora-
cula Col: 2, 16, 17. Heb: 8, 5, 10, 1. Ubi *σκία* nomine D. Apo-
stolus intelligit adumbrationē seu præfigurationem, quam
σκιογραφία pictores seu umbratilem descriptionem vo-
care solent, quando nimirum rudibus lineamentis adum-
bratur aliquid; ut si quis carbone aut creta delinearet ho-
minē. Sensus igitur est; In lege, i. e. V. T. fuisse umbram sive
delineationem & præfigurationem futurorum bono-
rum nimirum Christi incarnati.

XIV. Calvinus Beza sup. hoc c. & Heb. 10, 1. & qui
hos sequuntur per futura bona intelligunt vel futura
gratiam, quæ est per fidē in Christum, vel æterna bona,
quorum plena fruitio usq; in futurum seculum differtur.
Ast gravissimè errant. Nam quoad 1. Gratia illa communis
erat piis omnibus in utroq; fœdere, ut luculenter evincit.
1. dictum Petri Act. 15, 11. 2. Exemp: Abrahami Rom. 4. 3. Di-
ctum Pauli. Heb. 13, 8. tum Iohannis in Apoc. 13, 8. Quoad 2.
quidā Christiani in N. T. viventes eorum non sunt partici-
pes in hoc seculo.

XV. Relinquitur ergo quod Christus *Ἰησοῦς υἱὸς τοῦ Θεοῦ*
seu Christus secundum carnē sit intelligendus, id quod pa-
tet 1. Ex voce ipsa Pauli: Corpus est Christi. 2. Ex eo, quod
omnium figurarum V. T. terminus & complementum sit in
Christo *Ἰησοῦς υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, ut testatur epistola ad Hebræos &
totā Scriptura.

XVI. 2. Verba fœderalis formæ V. T. Hic est san-
guis Testamenti. Qualis a. est sanguis Testamenti, talis est
substantia Sacram: illius Testamenti. Atqui sanguis pecui-
nis est sanguis Testamenti V. Ex. 24, 8. Heb. 9, 18, 19. 20. Er-
go. Iam v. si sanguis hic non erat verus Christi, realis &
præfens sed agni paschalis Iudaici, tum fuit figura carnis
& sanguinis Christi. 17. Gra.

XVII. Graviter igitur errant Calviniani, qui dicunt unam esse rationem & substantiam utriusque Testamenti, adducentes. 1. Dicta: 1. Cor. 10. Heb: 13, 18. 2. Exemplum Abrahamæ, qui vidit Christum. Joh. 8. Ita Calvinus l. 4. Inst. c. 13 s. 23. Beza l. 2. quest. & Resp. p. 46. Sadeel: p. 300. 301. Ursinus in Catech. p. 479. & alij.

XIIX. Sed dico. 1. Agitur inter nos de substantia, non de Sacramentali causa & effectibus. Ergo elenchus est ἐτεροζήτησις. 2. Objectum discernendum est à substantiis. Objectum fidei Christus est in utroque Testamento; illic Veteribus exhibendus, ideoque ipso actu non presens fuit, hic nobis exhibitus. 3. In dicto Paulino. 1. Falsarii sunt, qui inferunt ad Nobiscum, quod stare cum textu nequit. 2. Contradictio oritur: Patres in V. T. accepisse Christum promissum, nondum tamen exhibitum. Videatur Clar: Dn. D. Menzerus de Sacr. Mand. & Tom. 4. Gies. p. 27. contra Sartorium. 4. Dictum ad Hebræos quod attinet Christus idem est. 1. ratione usus spiritualis seu viæ salutis, non ratione substantiæ Sacramenti. 2. ratione typorum & figurarum representantium Christum cum omni suo merito, quo respectu citius habuerunt Evangelium quam nos, ut ex Gen: 3. liquet. Hinc etiam Paulus scribit Gal: 3, 17. legem 430. annis post promissionem Evangelicam latam esse. 5. Ad Exemplum Abrahamæ dico, quod caro Christi non aliter illi presens fuerit, quam sicut agnus occisus ab origine mundi. Apoc. 13. Occisus a. est 1. Intercessione apud S. S. Trinitatem. 2. Promissione respectu adventus in carnem. 3. Figurative in typis. 4. Appetitive. 5. Apprehensive.

XIX. Expedita natura & substantia, consequens est, ut ad usum, finem & effectum accedamus, qui duplex.

1. Sunt

1. Sunt efficacia media & organa, promissionem Evangelij offerentia id quod luculenter probatur. 1. Ex promissionibus Evangelicis de Messia & beneficijs ipsius in V. T. editis Gen. 3, 13. 22, 18. 2. Ex Apostolico consensu Act. 15, 11. Rom. 2, 30. 4, 9. 3. A minori. Si καὶ ἐν τῷ V. T. Sacramenta contulerunt gratiam & bona spiritualia, multa magis perpetua & ordinaria. Antecedens verum est ex V. T. Ergo.

XX. Quod diligentèr observandum 1. Contra Pontificios, quibus hoc absurdum videtur, ideoq; ex Scholasticorum lacunis docent, Sacramenta illa contulisse gratiam ex opere operantis. 2. per modum meriti ex suscipientis devotione. Bellarminus l. 2. de Sacra c. 13. Concil. Trid.

XXI. Sed D. Paulus. 1. Rom. 4. ἀνεπίπλητος docet non hoc modo justificasse sed fuisse sigillum seu obsignationem justitiæ fidei, cujus proprium est, ut beatitudo sit ejus hominis, cui Deus secundum gratiam credenti non operanti imputat iustitiam sine operibus. 2. Sacramenta ex sacramentis tollunt, & ex Dei actione faciunt nostrum opus, ex gratia meritum, ex promissione præceptum. 3. Non opponuntur, virtute passionis Christi justificari, & per Sacramenta quæ verè & propriè sunt cause gratiæ, & in se habent vim efficiendi gratiam verum non nisi ὀργάνως Vide B. Chemnit. part. 2. Exam. p. II.

XXII. 2. Contra Anabaptistas, Servetum, & recentiores Photinianos, qui Israëlitæ & pios Patres V. T. tantum, umbram, non ipsa beneficia Christi habuisse, somniant.

XXIII. Verum delirant, & 1. contra expressam Scripturam hæc docent. Nam habuerunt beneficia Christi, quem fuit respicientes salvabantur. Act. 15, 11. Apo. 13, 1. Heb. 13, 41.

In quibus dictis certè descriptio continetur vigoris & effica-
cie passionis & mortis Domini, omnibus temporibus ab ori-
gine mundi usq; in seculum. 2. An fides Abrahae, quæ ut idea
fidei justificantis proponitur Rom. 4. est beneficium corpo-
rale? ἀπορον ἔστι αἰθεόλογον. 3. Patres V. T. habuerunt e-
andem promissionem. Rom. 1, 2. eandem gratiam Rom. 4, 1,
6. eandem efficaciam meriti & obedientie Christi Heb. 13,
8. Apoc. 13, 9. eandem fidem, Rom. 3, 21. eandem justitiam Rō:
4, 1. Unde in genere D Petrus Act. 15, 11. inculcat, unā ean-
demq; salvandi rationē fidelium omni tempore fuisse, quia
unus idēq; Christus, de quo omnes testatur Prophetæ & Act. 10,
43. nec aliud nomē sub cælo datū & c. Act. 4, 12. unū idēq;
Evangelium, Veteribus promissum, nobis exhibitum, in pa-
radiso predicari captum. Gen. 3, 15. novissimis a. temporibus
promulgatum. Rom. 16, 26. Hinc Tertull. in Apol. & Eu-
sebl. l. c. 1. Omnes credentes inde ab Abrahamo Christiani
fuerunt. Videatur Rev. & Cl. Dn. Præses in Theol.
Phot. p. 745 & c. 772. & c.

XXIV. Ex dictis liquidò apparet, Patres V. T. habuisse
Christum non ratione γοίας, sed ἐνεργείας & τυπικῶς.

XXV. 2. Sunt signa & testimonia promissionē divinæ
gratiæ credentibus exhibitā, obsignantia & confirmantia.

XXVI. Hoc ipsum Bellarminus l. 1. de Sacra. negat.
Contra quem hæc notanda veniunt. 1. Descriptio sigilli, cu-
jus proprium officium est testificari, obsignare atq; confir-
mare id cui annectitur. Sacramenta sunt sigilla promissio-
num divinarū Rom. 4, 11. Ergo. 2. Quod D. Paulus vocat sigil-
lum justitiæ fidei, id Moses vocat signū fœderis. Gen. 17, 7, 11.
Luc. 1, 73. 3. A minori. Si καὶ παλαιά V. T. confirmarunt divi-
nas promissiones, multò majus Sacramenta confirmant &
sunt testimonia divinæ voluntatis. 4. Bellarminus con-

tra

tra seipsum adducit Chryf: & Theoph: qui circumcis-
vocant signum. Si signum & testimonium. Ergo testificatur
& ob signat nempe justitiam fidei, quæ ex promissione
per & propter Christum. Rom. 3. & 4. Gal: 3. Eph: 2,

XXVII. Hactenus naturam Sacramentorum V. T. vi-
dimus, sequitur II. nunc divisio. Sunt n. duæ V. T. Circūci-
sio, & Pascha. Prioris naturam in hac, posterioris in sequen-
ti, indagabimus.

XXIIX. Est n. Circūcisio initiale V. T. Sacramen-
tum, quod semel tantum recipiebatur, siquidem 1. in Sacris
nullū extat præceptum vel exemplum iterationis. 2. Neq;
Sacram: hoc opus illa habet. 3. Imò impossibilis plane est.

XXIX. Dicitur Circūcisio à circumcidendo, ut
Græcè $\omega\epsilon\iota\tau\omicron\mu\eta\iota\varsigma$ q. circūcisio, & $\omega\delta\acute{\epsilon}\tau\omicron\omega\epsilon\iota\tau\epsilon\mu\epsilon\upsilon\epsilon\upsilon$, quia
Iudæi pelliculam illam præputabant, i. e. præcidebant sive
amputabant Arist: de par. ani. 2. c. 13. $\alpha\lambda\epsilon\gamma\pi\omicron\tau\omicron\delta\iota\alpha$ sum-
mam seu præ eminentiore præputij partem; D. Paulus mu-
tata voce appellat $\alpha\lambda\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\varsigma\iota\alpha$ Rom. 2, 25. Hebraicè in in-
stitutione dicitur $\כְּרִית$ i. e. fœdus Gen: 17, 10. Stephanus
 $\Delta\epsilon\iota\eta\lambda\omega\omega\epsilon\iota\tau\omicron\mu\eta\iota\varsigma$ vocat Act. 7, 8. quia etiam internā
cordis purificationem & cum Deo obligationē complecte-
batur. In N. T. abstractū pro concreto usurpatur. Rom. 3, 30.
15, 8. Gal: 2, 7. Hinc Christiani Circūcisio vocantur Phi. 3, 3.

XXX. Definitur a. ita à Rev. Dn. D. Menzero Tom. II.
disp. 14. Gies. quod sit amputatio præputij puelli Ju-
daici octavo à nativitate die (sive cujusvis maris
adulti, Judaicam religionē profitentis quovis tem-
pore) facta secundū Dei mandatum, Abrahamo &
toti posteritati ejus præscripta ad applicandum &
obsignandum fœdus Gen. 17.

XXXI. Efficiens causa Principalis, & autor ipse
Deus

dfinit.

quando instituta

Deus est, qui eam Anno Mundi 2047. secundum accuratorem calculum & supputationes Chronologicas Bucholzeri p. 5. Crentzheimij & D. Helvici. (licet alij & ex recentioribus quidem Augustinus Tornielus l. 1. Annal. ponat A. M. 2138.) ante natum Christum 1923. à vocatione Abrahamæ e terra Chaldaeorum, 25. etatis Abrahami 99. Ismaëlis 13. primò instituit, Abrahamo non sine causa & posteris ejus demandans. Gen. 17, 11, 12, 13.

XXXII. ~~Durare ergo debuit annos 1953~~ Tor n. intercessere à prima institutione Gen. 17. ad tempus baptizati Christi à Iohanne. Luc. 3. Ubi postea in ejus locum substituto Baptismo (quod notandum contra fanaticos, qui hoc negant) paulatim antiquabatur sive abrogabatur V. & inchoabatur N. T. Heb: 8.

XXXIII. Et licet Salvator Ioh. 7, 22. videatur ascribere Patribus, dum ait $\epsilon\kappa\ \tau\ \pi\alpha\tau\epsilon\rho\omega$ esse: existimandum tamen non est, quod advesetur spiritui San. & $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\omega$ $\omega\delta\delta\omega\tau\iota$ esse statuat, sed vult à Patribus ex Dei mandato ante Moysen usurpatam fuisse.

XXXIV. Ex dictis liquido apparet, falsum esse, quod Herodotus in Euterpe de Colchis, Ægyptijs & Æthiopicibus scribit, eos ab initio statim se circumcidisse, Syrosq; in Palestina fateri, se idē ab Ægyptijs didicisse. Verum hic a. 1. ab historia aberrat, si quidem Iudæos intelligat: quippe qui serè 200. annis antè, quam in Ægyptum abierent, hunc ritum autore Deo receperint. 2. Uti gentiles alios Ecclesia ritus sunt æmulati: ita etiam Circumcisionem. 3. Non octavo, ut Deus præceperat, sed 14. circumciderunt, quia ea etate Ismael acceperat. Quod Arabes & hodie Turcæ faciunt. Ergo potius ab Abrahamo habent. 4. Fœminas quoq; soliti sint circumcidere (quem morem hodieq; Christiani Abyssinij servare dicuntur)

idq³ anno 14. ut mares, hoc sine & usu, ut huiusmodi sanguinis præputiis arceantur demones mali & libido restringatur, quia illa ætate maxime in utroq³ sexu incipit accendi Ambrosius l. 2. de Patriarcha Abrahamo. c. 2. Alexander Jureconf. & histor. l. 2: Genialium c. 25.

XXXV. Ministerialis causa vel est ordinaria vel extraordinaria. Ordinaria fuerunt Patriarchæ, qui ante Politiam Mosaicam sacerdotium obierunt, inter quos primus Abraham, edificans Deo altare Gen. 12, 8. 13, 4. & se suamq³ familiam, quo ad sexum virilem, ex mandato Iehovæ circumcidens. Gen. 17, 24; 21, 4. Post officium hoc ad Sacerdotium Leviticum delatum est. Levitic

XXXVI. Et licet in Institutione Deus non expresserit, neq³ uspiam in S. Codice expresse legatur, quod Sacerdotali ordini alligaverit: certum tamen est, ijs proprie competere.

XXXVII. Probat^r illud. Quia Iehova ipse Abrahamo, quem postea Genes. 20, 7. ob prædictiones & docendi munus Prophetam vocavit, demandavit, ut capiti tum temporis familiarum & Ecclesiæ doctori, quem postea insecuti sunt reliqui Patriarchæ cujuslibet familie. Sacerdotalis dignitas primis temporibus cum patria potestate concurrebat. Quia partes cultus divini in Ecclesia Patriarcharum ante Mosén sparsim traditæ & usurpatæ, omnes simul una cum his, quæ novæ accesserant, per Mosén, mandante Domino, in unum q. corpus sunt redactæ, Levitis commendatæ, observandæq³ Israëlitis propositæ. Exemplo Matthiæ sacerdotis, quæ liberos eorum, qui ad Ethnिकास superstitiones defecerant, circumcidit. 1 Maccab. 2, 46.

XXXIX. Extraordinaria sunt pij & Ecclesiæ membra, in summo necessitatis casu. Nam ut habet regula, Ubi casus

casus necessitatis, ibi communis ordo cessat. Sunt a. vel viri politici ut Iosua princeps. Ios. 5, 3. vel mulieres, quibus nulla lege fuit interdictum. Hinc Zippora Eliezerum circumcidit Exod. 4, 25. quia vidit, ob neglectum Circumcisionis Sacramentum, Deum ad iram provocatum fuisse. Mulieres item tempore Antiochi 1. Macchab. 1, 63. 2. Macchab. 6, 10.

XXXIX. Neq. approbare possumus Calvini. l. 4. Inst. c. 13. s. 22. & ex eo Becani aliorumq. sententiam, qui factum temerarium & illicitum stultæ & iracundæ feminae nominant. Nam, 1. ex textu probari nequit. 2. Ratam & acceptam fuisse certum est, quia Dominus placatus & Moses dimissus fuit. Hinc 3. exemplo hoc mota sunt quondam Concilium Florentinum & Carthaginense IV. cui D. August. interfuit, ut necessitate cogente, Baptismi administrationem permitterent mulieribus. l. 4. sent. 4. & in decreto Grasian. Can. Mulier de Consecrat. distinct. 4.

XL. Instrumentum, quo peragebatur est Ἰσ, quod alij de petra intelligunt, dicentes, in oriente esse durissimos lapides, quos acuere soliti sint. Hinc ἁπλοῦς (Christum lapidem angularem & petram viventem 1. Cor. 10. 1. Pet. 2. Esa. 8. 28. denotare dixerunt. August. l. 2. contra Pelag. & Cælest. c. 31. Theod. q. 5. in Ios. Aliquando gladij cultrive aciem notat. R. 89. 44. 2. Sam. 2, 18. Dicit a. saxea, quia ad lapidem aut cotem acutiores essent facti. Huc accidit Thargum Jonathæ, Lyra, Lutherus & alij, qui locum Iosua 5, 3. verterunt per novaculas acutas. Imo in confesso est, Judæos hodie in circumcidendis masculis adhibere ferreos cultos.

XLI. Materia ut in omni Sacramento, ita & hic est Verbum & Elementum. Verbum tum institutionis Gen. 17, 10. tum promissionis gratia 6. 7. quæ bona & spiritualia & corporalia continet.

XLII. Elementum fuit caro, pellicula. 6. 11. seu membrum genitale seu præputium passivè dictum, quod Cyprianus seminarium appellat. Unde Judæos per contemptum Apelles & recutuos vocitarunt gentes, ut Justinus Martyr in quæst. docet.

XLIII. Magna igitur est Manichæorum blasphemia, qui obscenæ characterem nominarunt, tunc Gentium delirium, tã mandatum, quam factum iridentium. Quibus oppono dictum Pauli. 1. Cor. 12, 23. 2. Augustinum l. 5. contra Faust. ex Tit. 3. Omnia munda mundis.

XLIV. Facti huius causa est, quia 1. debuit esse remedium contra peccatum in quo concepti & nati. 2. quia peccati originalis fomes precipuus est concupiscentia, quae in membro genitali vel maxime dominatur. 3. Quia erat ob signatio foederis cum Abrahamo de semine benedicti in ita, nempe promissi Christi, in quo foedus gratia erat fundatum.

XLV. Forma est ipse circumcidendi ritus & actus à Deo praescriptus, qui consistit partim in docere, quae is, qui circumcidebat secundum verbum Dei, praepitium amputabat cultro acuto Jos. 5. partim in $\lambda\eta\lambda\upsilon\sigma\iota\varsigma$, qua in genitali membro amputatione illam pelliculae anterioris puellus Judaicus octavo à nativitate Die, vel etiã quibus adultus Judaicã religionem professus proferebatur.

XLVI. Subiectum circa quod seu objectum sunt masculi non simpliciter omnes ex generatione Abraham quovis modo descendentes. Gen. 17, 9. & c. & proselyti, $\alpha\iota\ \epsilon\grave{\iota}\ \eta\ \delta\upsilon\omega\upsilon$, juxta Suidam, $\omega\epsilon\theta\sigma\epsilon\ \lambda\eta\lambda\upsilon\sigma\iota\tau\epsilon\varsigma$.

XLVII. Duorum a. generum fuisse Sacra perhibet historia. Alij sola religione, alij & religione & cohabitatione Judaeis conjuncti & promixti fuerunt. Illi ab Apostolo Petro Act. 2, 5. vocantur viri $\epsilon\lambda\lambda\alpha\beta\epsilon\iota\varsigma$, quibus liberum erat servare Circumcisionem & ceremonias. Tales fuerunt Naaman. 4. Reg. 5. Cyrus, Darius alijq, qui fide in venturum Messiam salvati sunt. August. l. 18. de C. D. c. 47. Hi, qui connubia cum illis jungere, atq, paschalem agnum comedere cupiebant Exo. 12, 45. omnes & singulæ circumcisionem in carne suscipere tenebantur, ut docent exempla Exod. 12, 47. 2. Paral. 3, 17.

XLVIII. Non tamen propterea femellae Israëliticae à federe fuerunt exclusae. Nam 1. Promissio foederalis est generalis Gen. 17, 7. 2. Ut Abraham pater credentium Rom. 4, 11. ita & Sara mater fidelium dicitur 1. Pet. 3, 6. Heb. 11, 12. Hinc Mulier Luc. 13. 16. quam alligavit Satanas, suã Abraham datur. 3. Ut applicatiõnem, quia se consolabantur pia femina Judith. 9, 18. & habebantur pro circumcisis. Exod. 12, 48, 6. 4. Ob puerperarum leges Levit. 12, 5. Ob paschatis comestionem Exod. 12, 48. 6. Ob incapacitatẽ. 7. Additur ab aliquibus hæc causa, quod durã satis mulieribus imposuerit Deus $\omega\epsilon\iota\ \tau\omega\mu\lambda\upsilon$, In doloribus paries filios.

XLIX. Facessat proinde horrenda Pontificiorum Jodoci Ravenshen. in Apol. Con. Trid. contra Chetm. p. 27. & c. & Gretzeri in Collo-

in Collo. Ratib. Sed. 1. Theologia statuentium, femellas saluati
non potuisse, nisi per externum aliquod remedium contra pecca-
tum originis. 1. Quasi v. Deus esset impotens & non nisi externo
medio ageret? 2. In S. Literis nullum extat mandatum de tali
ritu, & temerarium foret comminisci, quod aliud quoddam ini-
tiationis Sacramentum habuerint. 3. Concesso, quod posteriori-
bus & corruptioribus seculis in usu fuerit: tamen eum non di-
vina autoritate, sed hominum traditione & Pharisaeica super-
stitione fuisse introductum. 4. Opponimus Lombardum, qui l. 4.
dist. 1. (per alium tamen errorem) parvulis istis femellis salu-
tem a fide & probitate parentum transferipit. Et Hugonem l.
1. de Sacr. c. 2, Salvabantur femelle sola fide, sacrificijs & obla-
tionibus, alijsq; legis ceremoniis purificantur.


L. Non abstrahitur est Scholasticorum, Durandi l. 4. d. 1. q. 6.
Riccharidi ibide, & Antony de Geslandis Dub. 6. qui opinati sunt,
A patre non a matre peccatum originale propagari, ideoq; fa-
mellas non esse circumcisas. Nam ipse David Psal. 51. fatetur, se
venenum p. o. hausisse tam a patre quam a matre. Ergo fons
transplantationis in utroq; parente est ponendus. 2. Homo gene-
rat hominem in conjunctione maris & feminae, juxta constitu-
tionem ipsius Dei.

LII. Jam etiam dicendum foret de reliquis sed forsitan in
conflictu. Vnicum restat, ut de fine aliquid afferamus, qui du-
plex. 1. Est medium divinitus ordinatum, per quod in divinum
foedus recipiuntur, quicumq; secundum divinam institutionem
circumcidebantur. Testatur Moses Gen. 17, 7, 10, 11, 17. ubi diligen-
ter notetur tum oppositio, tum phrasis divina v. 13.

LIII. Graviter igitur errant Calviniani, qui 1. καὶ ἐκ φεσιν
intelligunt dictum, cum gemina sit propositio 2. Negant per cir-
cumcisionem receptos fuisse in foedus Dei, quia jam ante vi pro-
missionis sint in foedere. Verum 1. Absolutè non sunt accipienda,
quae Deus certa determinatione limitavit. 2. Nec divellenda, quae
Deus suo verbo copulavit.

LIII. 2. Est σφραγίς signaculū justitiae fidei, quod gratui-
ta beneficia in cordibus circumcisorum fidelium fuit obsignatio.
Rom. 4, 11. Bellarminus negat hunc finem in l. 1. de Sacram. in
gen. c. 17. de quibus forsitan in ipsa disputatione agendum.

Ceterum ne de fine sine fine progrediar, cum BONO
DEO finio.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



REGII
MEMENTIS
Sexta
MEMENTIS
ESTAMEN-
in Specie
ISIONE,
EHOVA
SIDIO
IS MEISNERI
D. & P.P.
examinandam.
US KIRCHERUS
nus.
b. boris pomeridianis
minori.
ERGÆ,
nnis Gormanni,
DC. XX.

